UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv, Sacræ Theologiæ Professoris, Et sanctæ Inquisitionis Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtvtibvs, Et Vitiis Contrariis, In ...

De Ivstitia Et Ivre, Continens Tractatvs De Prvdentia, Fortitvdine, & temperantia, de Ieiunio, & Iustitia generaliter sumpta, de Iustitia commutatiua, nempe de Pactis, & Contractibus in genere, de Promissione, & Donatione liberali, de Commodato, & Deposito, de Mutuo, & Vjura, de Emptione, & ...

**Castro Palao, Fernando de**

**Lugduni, 1669**

18. De ordine seruando in solutione debiti personalibus creditoribus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-76677

Visual Library

præsenti non debitor, sed ipse creditor suam conditionem meliorem constituit sibi prouidens ante rei traditionem.

7 Tertia difficultas est de hypotheca dotis & fisci quæ præferenda sit si simul concurrerit? Et breuiter respondeo eam esse preferendam de qua constiterit tempore priorem esse, quia fiscus & dos æquali iure prælationis g udent, neque vnus aduersus alterum. Vt tenent Bart. Doctores, *in leg.1. ff. soluto matrimonio ex leg.2. Cod. de priuilegio fisci*, & colligitur *ex leg. regia. 29. & 33.* & *ibi* Gregor. Lopez. *verbo, obligandos, por palabra.* Gutierr. *lib.3. pract. q. 99. num.13. & seqq.* In dubio autem an mulier vel fiscus præcesserit, mulier pro sua dote præferenda est. Vt ex communi aliis relatis probat Ant. de Fano *de pignor.4. memb. 2 p. num.108. & 109.* Matienzo. *leg 7.tit.16. lib.5. compilat. Gloss.5.n.5.* Gregor. Lop. & Gutierr. *supra. & n. 22.* colligitur *ex leg. in ambiguis ff. de Regul. iuris & ex leg. in ambiguis. ff. de iure dotium.*

8 Quarta difficultas de duplici dotis hypotheca cum simul concurrunt quænam præferenda sit? & communis & certa resolutio est priorem tempore esse præferendam. Vt habetur *in authent. fin. Cod. qui potiores in pignore habeantur. & authent. vt exactione instante dotis & §. 1. collat. 7. & leg. regia 33. tit.13. part.5.* Regula enim, qui prior est tempore potior est in iure, semper seruanda est quoties ex iure exceptio non reperitur. Hoc autem intelligi debet, dummodò res traditæ in dotem à secunda muliere non extent. Nam in specie extantes ipsi & non priori restituendæ sunt, vt in supradictis legibus cauetur, & meritò quia earum dominium pertinet mulieri tradenti. Vnde ex illis nequit alteri fieri satisfactio, esset enim satisfactio ex re aliena. Neque huic doctrinæ obstat, esto maritus eas res dotales accepisset æstimatas æstimatione quæ faciat emptionem, quia eo ipso quod soluendo non est, dominium illarum rerum vxori restituitur *ex leg. in rebus. Cod. de iure dotium.* & tradit Gregor. Lopez. *d. leg. 33. verbo que fuesen primeramente* Anton. Gomez. *leg.53. Tauri. n.44.* Vasq. *de pignor. cap.5. §.3. n.18.*

8 Quinta difficultas est de concursu illius triplicis hypothecæ de quibus *in leg.29. tit.13. part.5.* quænam alteri sit præferenda? Cui difficultati optimè respondet Vasq. *de pignorib. cap. 5. §.3. num. 20.* mutuantem ad refectionem nauis, vel ædificij, vel ad soluendam portationem mercium vel locationem domus in qua merces seruandæ sunt, præferendum esse ei cui pro mutua pecunia accepta ædificium, vel merces obligasti, quia hic non habet prælationem comparatione prioris creditoris hypothecam expressam habentis; nam licet *in dicta leg.29.* præferatur priori creditori offerenti pecuniam nec tradenti, hic non obtinet hypothecam ante pecuniæ traditionem.

Alias autem quæstiones de prælatione creditorum hypothecam habentium mouent Doctores, sed nullam ferè difficultatem habent, facileque ex dictis solui poterunt.

## §. XVIII.

### De ordine seruando in solutione debiti personalibus creditoribus.

1 *Qui sint creditores personales?*
2 *Qui ex his præferendi sint?*
3 *Ex his præfertur potiorem causam habens.*
4 *Ex creditoribus non priuilegiatis plures affirmant, qui prior est tempore potior debet esse in iure.*
5 *Veriùs est nullam in esse prælationem.*

1 POst creditores hypothecarios subsequuntur personales, seu chirographarij, id est, qui aduersus personam debitoris actionem habent & non directè aduersus eius bona, quia nec sunt debita in specie, neque hypothecæ, aut pignori subiecta. *leg. sed an hic. ff. quod cum eo. leg. ex facto in fine. ff. de peculiis. leg. deferre. §. fin. ff. de iure fisci.*

2 Ex his creditoribus personalibus aliqui priuilegio prælationis gaudent, ita vt ipsis priusquam aliis non priuilegiatis debitum integrè sit soluendum. Inter creditores personales primum locum obtinet qui ex causa funeraria creditor est. *iuxta leg. quæsitum. ff. de priuilegiis creditor.* At hic creditor personalis hypothecarios omnes vincit, vt supra dictum est. Secundò *in eadem leg. habetur. §. si sponsa.* Sponsa namque tradens dotem ante matrimonium matrimonio non secuto personalis est creditor (oportebat namque vt creditor esset hypothecarius, matrimonium subsequi) ius prælationis habens comparatione omnium creditorum personalium. Tertiò referri debet pupillus priuilegio prælationis gaudens aduersus debitorem ex officio amicitiæ eius negotia gerentem. Sicuti habetur. *leg. si negotium. ff. eodem. tit. de priuileg. creditor.* Quartò deponens pecunias apud publicum depositarium præfertur postquam pecuniæ consumptæ sunt omnibus aliis creditoribus etiam priuilegiatis. *leg. si ventri. §. in bonis. ff. de priuileg. creditor. & leg. si hominem. §. quoties. ff. depositi.* Quod aliqui extendunt ad quamlibet rem depositam & absumptam. Excipitur tamen ibi nisi vsuras receperit, quia eo casu dicto priuilegio non gaudet. Non enim deponens, sed mutuans censendus est. Verùm si pecuniæ in specie extent, cum non fuerit in depositariū earum dominium translatum omnibus aliis creditoribus etiam hypothecariis in ea præferendus est. Vt benè aduertit Vasq. *de pignorib. cap.5. §.5. n.4.* Quintò respublica creditrix omnibus aliis priuatis creditoribus præfertur. *ex leg. bonis venditis. ff. de priuileg. creditor.*

3 Inter hos creditores priuilegiatos ille præferendus est qui potiorem causam habuerit, tametsi tempore posterior sit. Non enim in hac prælatione attenditur prioritas temporis, sed causæ. Sicuti habetur. *leg. priuilegia ff. de priuileg. creditor. & leg. regia. 11. tit. 14. & leg. 2. tit. 15 part. 5.*

Ex iure tamen nostri regni aduertit Vasq. *d. cap. 5. de pignor. §.5.* nemini personali creditori ius prælationis concedi, sed omnes æqualiter & pro rata concurrere, neque in conscientia debitorem obligatum esse vnum alteri præferre. Quod verum esse non credo, nam esto ius commune per se spectatum in nostro regno vim legis obligantis non habeat, at quatenus approbatum est legibus nostri regni, vim legis habere debet; aliàs si iure communi priuilegiatos creditores non esses obligatus præferre in solutione, neque etiam posses illos præferre, sed peccares si integrè illis debita solueres & non pro rata, cum non es aliis creditoribus soluenda, quod tamen Doctores communiter non admittunt.

4 Post priuilegiatos creditores subsequuntur personales non priuilegiati inter quos est nonnulla difficultas an prior in tempore sit potior in iure? Non desunt Doctores qui id affirment. Gab. *in 4. d.25. q.2. art. 3. dub.6.* Ioann. Medina. *Cod. de restit. q.2. §. quintum dictum.* Bartholom. Medina. *in sum. §. 33.* Salon. *2. 2. q.62. art.8. in fine.* Gregor. de Valen. *disp. 5. q.6. pun. 10.* Eman. Saa. *restitutio num. 61.* Tolet. *lib.5. cap. 25.* Rebell. *de restit. q.19. à num. 11.* Ducuntur primò ex regula iuris, quia qui prior est tēpore potior est in iure, quæ non videtur solum intelligenda de hypothecariis creditoribus, sed etiam de personalibus, eo quòd debitor personalis etsi directè eius persona solutioni debiti astricta sit, indirectè tamen eius bona prædictæ solutioni annectuntur, cum solutionem mediis bonis præstare debeat. Non enim debitor per se ipsum, sed per sua bona debitum debet soluere, ideoque creditor actionem habens aduersus debitorem consequenter eam habet aduersus eius bona. Ergo creditor obtinens ius vt ex illis bonis debitum soluatur sibi ex superueniente alio creditore præiudicari non debet. Ideo enim habens hypothecam priorem non præiudicatur ex superueniente creditore, quia ea bona sibi obligata habet. Quod verò illa habeat directè, & creditor personalis indirectè parum referre videtur.

5 Nihilominus communior, & verior sententia est inter creditores personales non priuilegiatos, & inter creditores priuilegiatos ex eadem causa nullam esse prælationem concedendam ex prioritate temporis, sed omnes pro rata concurrere debere; cum bona debitoris omnibus soluendis non sufficiunt. Vti docuit Bald. *in leg. pro debito. Cod. de bonis author. iudic. possid.* Anton. *2. p. tit.2. cap. 7. §. 3.* Syluest *verbo restitutio. 6. q.5. num. 5.* Nauarr. *cap.17. num.51.* Molin. *tract.2. de iustit. disp. 546. prope finem.* Lessius. *lib.2. cap.15. num. 48.* Petr. Nauarr. *lib.4. cap. fin. num.26.* Matien. *leg.7. tit.16. lib.5. compil. Gloss. 5. circa finem.* Gab. Vasq. *tract. de restit. cap.11. dub.2. num. 49.* & alij. Colligitur *ex leg. priuilegia. ff. de priuilegiis creditor.* vbi Consultus inquit. priuilegia non tempore æstimantur, sed ex causa. Item *ex leg.1. ff. de separationib.* vbi dicitur *licet alicui adiiciendo sibi creditorem, creditoris sui deteriorem conditionem facere.* Ratio verò est quia in obligationibus personalibus sola persona subiit obligationem soluendi, tametsi mediis bonis quæ habuerit soluere debeat, ipsa verò bona solutioni non annectuntur: cum autem persona debitoris eadem sit, & ob obligationem priori creditori factam non impediatur nouam obligationem subire, non impeditur posterior creditor in suo iure ex prioris creditoris antecedentia, sed æquè cum illo in exactione debiti concurrere poterit. Præterea leges statuentes qui creditores præferri aliis debeant, cum bonum commune respiciant, & nullæ falsæ præsumptioni nitantur, obligant non tantum in foro iudiciali, sed etiam in foro conscientiæ. Vt notauit Caiet. *verbo restitutio. cap. 8.* Armilla. *ibidem, n.46.* Syluest. *eodem. 6. q. 5. par. 5.* Angel. *2. num.19.* Ioann Medina. *de restit. q.2.* Nauarr. *cap.17. num.51.* Gab. Vasq. *opusc. de restit. cap. 11. dub.2. circa finem.* At hæ leges extra creditores hypothecarios statuunt nullam desumendam esse prælationem ex prioritate temporis. Ergo astruenda non est, maximè cum iure naturali hæc prælatio non debeatur.

## §. XIX.

### Inter debita ex delicto, & debita ex contractu, sitne aliquis ordo necessario seruandus?

1 *Affirmant plures debita ex delicto prius esse soluenda.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN